



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De diuersis affectibus & imaginationibus diuersarum personarum in
orante, & in eo quem orat. Cap. LXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

spiritualem intelligentiam, & afficit eam per
 deuotionis affectum: & iste precipuus est ora-
 tionis fructus. Secundus modus orandi est
 sæpe efficacior per verba proprio affectu for-
 mata: vt cū Deo familiariter cōfabulatur ver-
 bis suis, vel etiam vtitur verbis alterius affe-
 ctui suo consonantibus, quasi coram Deo præ-
 sente cor suum effundens, vel necessitates suas
 conquerens, vel peccata confitens & miseri-
 cordiam postulās: gratiam petens, & auxilium
 implorans contra tentationum pericula & tri-
 bulationum grauamina vel quascunque suas
 vel suorum necessitates. Hic modus orādi ma-
 gis requirit oportunitatem solitudinis vel si-
 lentij circa se, & otij & quieris, quo plenius &
 securius se in Deum effundat affectus. Maior
 etiam in eo labor est capiti & corpori: ideo nō
 potest ita frequēs esse vel durabilis, sicut prior
 in prima & secunda attentionis specie, maxi-
 mē debilibus corpore: & aliqui indiscretē eam
 frequentantes destructi sunt. Vnde tales sæpe
 & breuiter sic orent & leuiter, vt ex frequentia
 à Dei familiaritate non elongentur, & ex bre-
 uitate & leuitate non destruantur.

2. Orandi
 modus,
 per verba
 affectu
 proprie
 formate.

*De diuersis affectibus & imaginationi-
 bus diuersarum personarum in orante,
 & in eo quem orat.*

CAP. LXI.

Secundū autē diuersas causas, hic modus
 diuersarum personarum format affectus, &
 voces in orante, & diuersarum personarum
 imaginationes in eo quem orat. Aliquando
 enim homo personam rei assumit, coram Deo
 iudice astans eum tremore, & dicēs Deo: Noli
 me cōdemnare. Item, Non intres in iudicium
 cum

Job 10, 1
 Psal. 142, 2

cum seruo tuo, & his similia. Hoc oramus cum dicimus: Libera nos à malo, scilicet aeternae damnationis. Aliquando quasi obsessus ab hostibus tentationum, tribulationum, & non valens per se effugere, insuper timens se offendisse Deum, & per peccata sua meruisse ut tradatur hostibus, inuocat auxilium, dicens: Ne memineris iniquitatum nostrarum, &c. Item: Ne proicias me à facie tua, &c. Præter finalem damnationem nulla Dei ira grauior, quam non defendere à peccato. Hanc maximè meretur superbia & ingratitude & incuria, ut homo profundius cadere permittatur. Hoc est contra quod oramus: Et ne nos inducas in tentationem peccati. Inducere Deus dicitur, cum non custodit ne inducamur: sicut indurare dicitur cor peccatoris, cum per gratiam non emollit internæ vnctionis. Hoc maximè in pugna tentationis & tribulationis onere timendum est, ne suo pondere nos opprimat & in peccatum deiciat. Alioquin opranda esset tribulatio non horrenda: quia animam purgatorem redderet, & maioris esset meriti viriliter toleranti. Aliquando quasi seruus qui gratiam domini perdidit peccando, supplicat sibi peccata sua & negligentias suas ignosci, quas commisit, omittendo debita & perpetrando illicita, vel ea quæ debuit negligentius & impurius persoluendo, dicens: Secundum multitudinem miserationum tuarum Domine dele iniquitatem meam. Item: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim, &c. Hoc petimus, dicendo: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quia ea benignitate debem⁹ dimittere in nos quomodolibet peccatibus, qua desideram⁹ nobis dimitti quod peccamus. Aliquando quasi mendicus & pau-

pet.

*Mat. 6, 13*Orationis
Dominicę
breuis &
dilacida
explicatio.*Psal. 78, 8**Psal. 50, 13*Ira Dei
grauissima*Psal. 50, 2**Psal. 24, 11*

per coram diuite patrefamilias procumbens,
 & inopiam suam ostendens, flagitat panem
 gratiæ amplioris, quo confortetur, quo conso-
 letur, & sustentetur ad resistendum malis. Tri-
 plici autem pane indigemus, quem nos instan-
 ter ab amico cōmodari posse debemus: hoc
 est, cælesti, spiritali, & terrestri. Cælestis, est
 corpus Christi. Ioan. Pater meus dat vobis pa-
 nem de cælo verum. Spiritualis, est verbum
 Dei, & gratia interna mētem ab interiori in-
 edia virtutum, & donorum alimento reficiens.
 Psalm. Panis cor hominis confirmet. Terre-
 stris, est victus & alimentum quo corpus hīc
 sustentari necesse habet: quia esuriam & sitim
 aliter temperare non potest. Hunc poscimus,
 dicēdo: Panem nostrum quotidiana num da no-
 bis hodie, sine quo nullo die subsistere vale-
 mus; omni enim hora Dei gratia indigemus;
 & ideo semper eam postulare iubemur ad om-
 nia aggredienda. Aliquando quasi filius patris
 per omnia parere & placere affectans, patrem
 deuotissimè orat, vt eum à voluntatis suæ be-
 neplacito in nullo discrepare patiatur, in acti-
 bus, & voluntatibus, & moribus, ad omnia &
 in omnibus eum sibi ita conformem faciens,
 vt nihil in eo paternos oculos offendat, hoc so-
 lum sibi reputans solamen, & super omnia de-
 siderans, vt ipse cælestis Pater tantum suam in
 eo voluntatem perficiat: siue exercendo in ad-
 uersis, siue consolando in prosperis, siue depri-
 mendo, vel quocunque modo sibi magis pla-
 cet. Verè filialis & fidelis affectus est, nulla que
 sua sunt quærere, non comoda, non hono-
 res, non consolationes: sed solummodo placi-
 tum pij Patris. Magnū est hoc à Deo petere,
 & magnum obtinere, vt tales nos in hoc pecca-
 ti corpore faciat, vt illi summæ veritati pla-
 ceamus, & ab eius directionis regula non de-
 uiamus.

Tripliei
 pane indē-
 gemus
 omnes.

Ioan. 6, 32

Ps. 103, 26

uiemus. Nihil melius, nihil vilius in mundo
 posset nobis conferre etiam summus Pater,
 quàm tales nos facere vt ei per omnia placea-
 mus. Vnde Psalm. Ad te confugi, doce me fa-
 cere voluntatem tuam, &c. Hoc petimus cum
 dicimus: Fiat voluntas tua sicut in caelo & in
 terra; vt sicut illi superni ciues ad voluntatem
 tuam sunt dispositi, ita & nos hinc pro modulo
 nostro ad voluntatis tuæ beneplacitum dispo-
 namur. Aliquando anima quasi sponsa Dei in
 ipso vnico dilecto suo quiescere desiderans, &
 eius frui solum amplexibus ardentè sitiens,
 pro cuius amore omnia ei inferiora vilnerunt,
 quia sitim suam aliter temperari non sperat,
 nisi tota illic transeat vbi eum facie ad faciem
 irrepercussa videat acie, flagitando precatur
 hoc citius adimpleri, cupiens cum beato Apo-
 stolo dissolui & esse cum Christo: quia multo
 melius est tam iucunditate fruitionis Dei,
 quàm securitate euasionis mali: & quia magis
 esset ad placitum illi summæ veritati, quam
 possit in hoc corpore quantumcunque profi-
 ciens fieri: quia dum sumus in hoc corpore,
 peregrinamur à Domino, & in multis offen-
 dimus omnes: ita vt si dixerimus quia pecca-
 tum non habemus, nosiplos seducimus, & ve-
 ritas in nobis non est. Cum enim peccatum
 dicatur auersio à summo bono, & ad bonum
 inferius cōuersio; in quātum inde auertimur,
 in tantum peccato non caremus: & qui magis
 auertitur, magis peccat; & qui minus, minus.
 Nihil autem inde auerti, non est peregrinan-
 rium, sed peruenientium: quia et si voluntatis
 intentio vtrunque ei adhæret, affectus tamen
 sæpius hinc inde distrahitur, memoria multis
 aliis occupatur, & intelligētia cęcutiens ipsam
 veritatis lucem purè non intuetur. Ex his fit,
 quòd aliquando in inferioribus istis impelli-
 mur

*Psal. 142, 9**Phi. 1, 23**2. Cor. 5, 6**1. Iacobi 3, 2
& Ioan. 1, 8*

mur vt cadamus, nisi à Domino sustentemur.
 Vnde gemens dicit Propheta: Sitiuit anima
 mea ad Deum viuū, quando veniam. &c. Hoc
 oramus, cum dicimus: Aduentat regnū tuum.
 Ac si dicamus: Pōdere peccati & corpore præ-
 granati nō valemus ad illud citiūs volare: Ad-
 ueniat igitur regnum tuum, & nos celeriter
 hinc assumas, vt ab ista miseria liberemur. In-
 terim in nobis operare tibi regnum in iustitia
 & pace & gaudio Spiritus sancti. Aliquando
 quasi inebriatus Spiritu, immemor sui met ho-
 mo Deo deditus, & ei per amorem inhærens,
 super omnia ipsius gloriam & honorem pro-
 moueri, & eius notitiā ad omnes dilatarī de-
 siderans, tam pro ipsius quā pro aliorum sa-
 lute rogat Patrem, vt sanctificationis suæ no-
 titiam omnibus manifestet, infideles ad lu-
 men suæ cognitionis vocando per fidem, & fi-
 deles ad gratiam suæ sanctificationis conuer-
 tendo per amorem, & rebelles per ostensionem
 suæ potentix vtiliter contundendo; & quasi
 nō possit vel nolit sine aliis cęlesti gaudio frui,
 anhelat & satagit plures secum trahere oran-
 do, docendo, bono exemplo præcedendo, &
 quocunque alio modo honorem Dei & proxi-
 morum salutem & profectum spirituale pro-
 mouendo. Et hoc affectu videtur loqui Apo-
 stolus ad Romanos: Tristitia est mihi magna,
 & dolor continuus cordi meo. Optabam enim
 ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus
 meis, &c. Moyses quoque eodem affectu vi-
 detur orasse, dicens: Aut dimitte populo
 tuo noxam hanc: aut si non vis, dele me de li-
 bro tuo quem scripsisti. Non quòd Apostolus
 vellet à Christo separari, vel Moyses deleri;
 sed quòd affectum quem ad proximorum sa-
 lutem habebant, euidentius exprimere nō va-
 lebant; quasi non reputantes sibi esse plenum
 gau-

Psal. 42. 2

270
 271
 272
 273
 274
 275
 276
 277
 278
 279
 280

Rom. 9. 3

Exod. 32, 32

gau-

gaudium introduci ad epulas caelestes, illis quos diligebant & pro quibus mori optabant, foris fame perituris. Hoc oramus, cum dicimus: Sanctificetur nomen tuum, ut nominis tui sanctificatio nobis plenius innotescat, quo te perfectius agnoscere & amare & reuereri possimus, & sanctitatis tuae similitudinem induendo, tibi Patri sicut veri filij conformemur: ut vnus tecum spiritus efficiamur, in tuam transformati claritatem. Hanc orationis formam Christus docuit, & his septem petitionibus omnia petenda conclusit, & omnes orationum affectus comprehendit, sicut patere potest diligenter intuenti. Dignitatis autem ordinem in petendis seruauit: & ideo quae ultima hic ponitur, illam ipse primo ponit. Quid autem plus peti potest, nisi liberari a futurae damnationis malo, custodiri in discrimine praesentis tribulationis, peccata nobis ignosci, gratiam augeri & infundi, ut ad voluntatem Dei viuamus, & regnum eius consequamur, & honorem nominis eius videamus ad omnes peruenire, & sanctitatem eius ab omnibus cognosci & imitari, siue singularim siue commixtim. Quidquid oramus, ad aliquid, vel aliqua respicit: quia aliquando pro vno obtinendo singulariter oramus, aliquando duo vel plura simul petendo proponimus: & sicut solet orantes coram principibus, ut petitio eorum sit efficacior, modo commendare ipsorum clementiam quos rogant, modo proprias aggrauare misérias, ut ad misericordiam citius sectantur; modo aduersarij accusare fraudes & malitias, ut sibi sit in auxilio, hosti in odio: sic & nos in oratione facere debemus coram Domino, sicut sacrae Scripturae eruditione docemur.

Oratione
Dominica
omnes no-
strae peti-
tiones com-
prehendun-
tur.

De